



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis

Raynaud, Théophile

Romae, 1647

Punctum XI. Doctores Catholici omnes, pro solius S. Petri primatu steterere,
solis Hæretici pro S. Pauli ad S. Petrum coæquatione sollicitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10481

illos cum quibus agebat, de Apostolicis viris, paruum de primis Sacerdotibus, atque Sanctissimis Doctoribus currere auctoritatem. Dolet tot annosos Episcopos, tot Martyres, tot Confessores, aliter locutos, quàm illi tunc loquerentur, contemni. Hæc mihi quoque iusta est querela. Patres vniuersi, vt vt pauci omnino per obtorsionem manifestam aliò trahantur, solum S. Petrum habuere pro supremo Ecclesiæ Rectore, ac visibili capite. [Age, si illi, vsurpando nomini huic, authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostram, potiùs auctoritatem Patres sequentur, & emendanda, Sanctorum cedit antiquitas, & iam putrescentia vitij tempora, canos Apostolicæ antiquitatis eradent?] Indignum id sanè ac iniquum, meritoque subiiciendum anathematizationi illi, qua Petrus Cellensis^a percellit omnem nouitatem à sensu, & doctrina SS. Patrum exorbitantem, cuiusmodi manifestè est ea de qua agimus.

a præs. ad librum de panibus.

P V N C T V M X I.

Doctores Catholici omnes, pro solius S. Petri primatu steterè, solis Hæreticis pro S. Pauli ad S. Petrum coæquatione sollicitis.

NON exiguum veritatis Catholicæ de solius S. Petri primatu argumentum esse putò, quod quisquis demum sit is, qui hunc Pauli primatum recens inuenit, hætenus tamen nemo Catholicorum Doctorum pro eo stetit. *Doctores Catholicos* intelligo, eos qui Patres sunt subsequuti, solentque distribui in classes quatuor, nempe Expositiuorum

Y (vul-

(vulgus *postiuos* appellat) Scholasticorum, Hæreseologorum, & Canones profitentium. Hi omnes reclamante nemine Catholicorum, B. Petrum eminere supra omnes Apostolos, atque adeò super ipsum etiam S. Paulum, absque ambiguitate confirmant. Appendam capitatim duntaxat ex qualibet classe nonnullos, qui in hoc negotium obiter inciderunt. Nam passim apud alios, res supponitur vt indubitata, quamque excutere, nec vel memorare sit necesse; cū videatur clarè in scripturis & Patribus traditionem diuinam referentibus, decisa.

2. Expositiui vniuersaliter, & omni exceptione seclusa, S. Petrum omnibus planè Christi ouibus, etiam Apostolis, atque adeò etiam S. Paulo præficiunt, siue Matthæi 16. ad illud: *Dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Siue Lucæ 22. ad illud: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Siue ad illud Ioannis 21. *Pasce oues meas.*

Adeundi præter cæteros, D. Thomas explanans Epistolam ad Galatas ^a, vbi disertè S. Paulum S. Petro subijcit. Locus est ipsis Solis radijs scriptus, qui citra omnem expensionem, si vel tantum legatur, adstriplatur huic veritati.

Ad eundem locum Petrus Lombardus expressè supponit Paulum fuisse S. Petro minorem, admisisse tamen humillimè Pauli reprehensionem, vt forma aliorum Pastorum fieret, & ipsi quoque non refugerent, cum res ferret, corripì ab inferioribus, videntes Pastorem Pastorum, talia à suo inferiore Paulo, sustinuisse.

3. Abulensis tractans præceptum correctionis fraternæ ^b, ait esse communem assertionem, quod Petrus habuerit subditum Paulum. Et quærens quis esset ille absolute dictus Propheta, qui nuntiauit Achabo, futurum bellum secundum, ait antonomasticè sic dictum Michæam.

^a in cap. 2.
sect. 2.

^b quest. 86. in
c. 10. Matth.

chæam, sicut Paulus antonomasticè dicitur Apostolus, ob præcellentiam doctrinæ, quamvis non ob præcellentiam potestatis, secundum quam Petro cedebat, ut disertè ibi notat Abulensis.

Hieronymus Cardinalis Seripandus in quæstionibus subtextis commentario in Epistolam ad Galatas, tradens Pauli in Petrum concitationem, agnoscit ^a Paulum fuisse minorem ac subditum Petro, cuius summam potestatem in Ecclesiæ rectione à Christo, sub clauium metaphora, & pascendi munere attributam, pereleganter & copiosè præmiserat ^b.

4. Ioannes Maldonatus tractans illud Christi ad Petrum, *Pasce oues meas* Ioan. 21. ait claram esse, & constantem omnium Interpretum sententiam, (ne Græcis quidem exclusis; quamvis studio nationis à D. Petri prærogatiuis, quas Romano Pontifici eius successori communicandas scirent, alienioribus;) Christum super omnes Apostolos, & omnes qui numero ouium Christi comprehenduntur, atque adeò supra omnes Christianum nomen præferentes, ^aqualis utique fuit S. Paulus, potestatem ac regimen in Ecclesia supremum S. Petro concessisse. Qui hoc inficiaretur, ex omni natione, quæ sub coelo est, repertum neminem fatetur, versatissimus in sacra doctrina eiusque Interpretibus Maldonatus: solos nuper Lutheri & Caluini Gregales secus sensisse ait.

Benedictus Iustinianus, fusè ac ex instituto, S. Paulum fuisse S. Petro inferiorem demonstrat ea disputatione de Apostolatu, quam suis in Paulinas Epistolas Commentarijs præfixit ^c: Et quæ passim aduersùs S. Petri primatum supra S. Paulum circumferuntur, difficultates, præsertim ab imaginum vtriusque Apostoli positura, accuratè & more suo amoenè dissoluit: concludens, tametsi Apostoli omnes, sed nominatim Paulus, officio Apostolico pares Petro fuerunt, tamen autoritate, ac di-

gnitate Petrum fuisse omnibus superiorem, Paulo non excepto.

5 Sixtus Senensis Bibliothecam sanctam adornauit, veluti apparatus ad solidam scripturae interpretationem. Itaque inter sacros Interpretes referri potest ac debet. Eius hæc est de Petri supra Apostolos omnes, ipsumque Paulum potestate, sententia. Petrum sine dubio omnibus Apostolis, ipsoque D. Paulo fuisse superiorem auctoritate; quippè qui pastor omnium fuerit, atque adeò iurisdictionem in omnes sit nactus, in ipsum verò nemo. Secernendam tamen esse in S. Petro triplicem potestatem; nempe Ordinis, Apostolatus, ac Regni, siue præfecturæ supremæ totius Ecclesiæ. In prima & secunda potestate, B. Paulus fuit Petro æqualis, imò idem de omnibus Apostolis asseri potest, & quo ad primam de omnibus Episcopis. At tertia potestas, solius S. Petri propria fuit, & quo ad eam Paulus Petro subiacuit.

Scholasticorum antesignanos, Petrum Lombardum, & S. Thomam, iam recensui inter Interpretes sacros, monstrauitque Paulum Petro subiecisse, vt subditum. Id quod explicatissimè quoque habet D. Thomas in summa Theologica tractans de correctione fraterna. Ac vt verbo dicam, quotquot ad eum S. Thomæ locum edidere Commentarios, ferè semper meminerunt reprehensionis à S. Paulo adhibitæ; nec est, qui S. Paulum inferiorem Petro non statuat.

6 Hæresologi, siue statuentes legitimum Iudicem controuersiarum, siue refellentes Hæreticos rebelles lumini, & liquidissimam Romani Pontificis apud omnes retrò Doctores potestatem in Ecclesiam vniuersam stabilientes, semper tribuunt Sancto Petro, & Romano Pontifici, quatenus Sancti Petri successori, dignitatem capitis Ecclesiæ, exclusis alijs Apostolis, ac etiam Sancto Paulo. Disertè id habent omnes propè in

con-

controuerſia de Eccleſiæ capite. Signo ex tanto numero per paucos.

Franciſcus Agricola lib. de primatu Petri ^a. Paulum ^{a cap. 7.}

Petro obnoxium, ac ſubditum diſertè agnoſcit, ac proinde non habet Paulum pro S. Petri Comptifice. Inſigniter Stapletonius cùm in Promptuario Catholico ^b, tum in opere de principijs fidei ^c. Optimè quoque Sanderus ^d, qui excutiens hæreſim Lutheranorum de Petro circumciſionis duntaxat, Paulo autem gentium moderatore, atque rectore (viderit Aduerſarius idem ex instituto tradens) quomodò à grauiffimo hoc Scriptore excipiatur; ita agnoſcit primatum quemdam Paulo obtiſſe, vt tamen ſubdat. [Verùm hic primatus, licet iure Apoſtolico non deſtituatur, tamen non ob iuris Apoſtolici & Paſtoralis prærogatiuam, vt primatus Petri, verùm ob facta eximia, & ob gratiæ personalis prærogatiuam, primatus quidam & erat, & interdum à SS. Patribus ita vocatur.] Nihil clarius, & pro S. Pauli excluſione à verò primatu de quo agimus, & pro intelligentia variorum locorum, quibus Aduerſarius abutitur. Inſigniter verò idem Sanderus in hanc ſententiam diſſert. alio eiufdem Operis loco ^e, cum demonſtrat formam ^{e lib. 5. cap. 7.}

regiminis Eccleſiæ Chriſtianæ, debuiffè ſemper eandem eſſe, & Chriſto hic ſuperſtite, & iam in coelos recepto. Vt proinde ſicut ille dum vixit inter nos, fuit vnicum Eccleſiæ caput viſibile, ita eo coelis illato, ſuper terram eſſe nequieſſet, niſi vnicum caput.

7 Accuratiùs & pleniùs hoc punctum verſarunt, qui aduerſus M. Antonium de Dominis ſtylum ſtrinxerunt. Quod enim nefarius ille transfuga ad Pontificum Romanorum authoritatem conuellendam, in id ſtudioſè incubuiſſet, vt Paulum emanciparet à patria Petri poteſtate, vnaque omnes Apoſtolos, eodem, imò potiore iure quàm Paulum Petro coæquaret: è contrario præſtan-

^b ſerm. in feſto
SS. Petri &
Pauli.
^c lib. 6.
^d lib. 6. de vi-
ſibil. monarch.
^e cap. 6.

a lib. 1. cap. 7.
à num. 56.

b lib. 1. cap. 7.
art. 4.

c in *Censura*
lib. 1. ad c. 11.

stantes illi Catholicæ fidei propugnatores, & omnes Apostolos, & nominatim Paulum subiecere Petro tanquam soli totius Ecclesiæ Pastori supremo. Eminent inter eos, Nicolaus Coiffeteau, qui denique designatus Massiliensium Antistes, obiit; spisso volumine, quo deliria Marci Antonij, confutauit. Martinus Becanus in opere de Republica Ecclesiastica^a, Fidelis Annosus, aliàs Ioannes Floidus Scriptor vndecunque eximius in Monarchia^b, itemque Zacharias Bouerius^c. Eodem tempore contra accensum, siue Optionem M. Antonij de Dominis, scripsit Marcus Antonius Cappellus. Is disputatione de Summo Pontificatu B. Petri toto cap. 12. neruosè, ac eruditè cõfirmat subiectionem S. Pauli ad S. Petrum. Et quanquam in illius capitis limbo, vt Aduersarium vndecunque concludat, admittere videtur Romanum Pontificem Paulo item succedere, tamen hoc non dicit, nisi ad hominem argumentando, & ex suppositione ab Aduersario facta, illi data gratis & non concessa. Nimirum quia etiamsi ita esset, vt volebat Aduersarius, verèq. S. Paulus esset caput Ecclesiæ S. Petro equale, nihil id offecturum esset iuribus Pontificis Romani, qui solus posset pretendere suam esse successionem ad S. Paulum. Itaque fortis hic scriptor, doctusq. Hæresologus, etiamsi daretur Romanum Pontificem S. Paulo succedere, omnino tamen vult & confirmat toto eo capite, S. Petrum esse superiorem S. Pauli, quod nobis satis est, quia sic negatur S. Paulum esse caput Ecclesiæ par S. Petro, eique non subordinatum, de quo solo hic quæritur.

d l. 1. de Rom.
Pont. cap. 17.

e l. 3. de Pont.
cap. 2. & lib.
2. cap. 4.

8 Sed quid Bellarmino fiet inter Hæresologos sanè præcellenti? Eum enim Aduersarius pro Pauli primatu intrepidè allegat, eo quod dixerit^d etiamsi constaret, Paulum Petro anteferendum esse omnibus modis, nihil id offecturū Romanis Pontificibus, ad quos omnis Pauli gloria pertinet. Alibi item^e ait eum tradere, omnes vna-
nimi-

nimiter veteres docere, Romanam Ecclesiam à SS. Petro & Paulo, primis in ea sedentibus Episcopis, esse fundatam: Constareque, non alios tempore Apostolorum fuisse Romæ Episcopos, quàm Petrum & Paulum. Conclamatus videri possit in hac re Bellarminus, si Aduersarium audimus.

Sed respondere profectò potest eximius hic pugil Ecclesiæ, & non minus purpuræ quàm aui sui decus, quod Rupertus ad eum, qui ex malè intellecto ipsius loco impegerat. Estque homini Gallo non ignotum, vernaculum adagium; Plerumque planum esse iter, at eo incedentem bestiam. Vecordem. Non opus est glossa in re perspicua, & per se ipsam patente. Nec verò primus Bellarmino prætesum Pauli primatum ex his ipsis eius locis affinxit Aduersarius. Nam Sibrādus in Lutheri combonibus strenuissimus, ex iisdem Bellarmini plagulis planè præter eius mentem obtortis, conclusit id ipsum, quod Aduersarius hic concludit. Sed Sibrandum fatuari, & cadentem apertos habuisse oculos, monstrat euidenter in Bellarmini defensione Gretserus. Et verò, quæ siue supinitas, siue malignitas est, cum Bellarminus tam clarè, tamque explicatè, vt non possit explicatiùs, & clariùs, tradat Paulum subiacuisse Petro, eoque fuisse inferiorem quo ad authoritatem, & regimen Ecclesiæ, conquirere tam studiosè plagulas, in quibus vtcunque videatur dicere, quod velit nolit ipse, optat tamen Aduersarius vt dixerit?

a lib. 1. in ve.
Sub S. Bened.
Sub finem.

b ad lib. 10. de.
Pont. cap. 37.

9. Disertè ergo & conceptis verbis Bellarminus, tractans ex instituto Petri & Pauli comparisonem, affirmat; Paulum quidem simul ac Petrum, dici *Principes Apostolorum*; sed Petrum, quia pastor omnium & caput, erat; Paulum verò, quia munus Apostolicum excellentissimè obiuit: quomodò Virgilius dicitur *Princeps Poetarum*, & Tullius *Princeps Oratorum*, ob eximiam facultatem.

c l. 1. de Pont.
cap. 37.

tatem carmina, & orationes condendi, absque vlla in
 ceteros Poetas, aut Oratores iurisdictione. Ibidem Bel-
 larminus argumenta, quæ illuc vsque Hæretici pro San-
 cti Pauli primatu adduxerant, refert atque dissoluit, nec
 aliam in Paulo præcellentiam agnoscit, quàm sapientiæ,
 atque laborum: in Petro autem solo, agnoscit potesta-
 tis præcellentiam, qua ipsi etiam Paulo antecellebat, &
 solum ordinaria potestate potitum ait, cum Pauli pote-
 stas quanta quanta erat, extraordinaria esset. Hæc do-
 cet Bellarminus, vbi comparationem Petri ac Pauli ex
 instituto versat. Vt quid ergo allegatur pro contraria no-
 uitate, quia hypotheticè dixit, etiam si Paulus Petrum
 æquasset, aut superasset potestate, nihil id offecturum
 Romanis Pontificibus, ad quos tota Pauli gloria perti-
 net, cum Romæ prædicauerit, & vitam finierit, nec vlla
 sit alia Ecclesia, quæ Pauli sibi decora vendicet, præter
 Romanam? His verbis inædificare velle S. Pauli prima-
 tum ex æquo cum S. Petro de mente Bellarmini, qui eo
 ipso loco tam apertè id reijcit, ludere est, & lectoribus il-
 ludere. Nam hypothetica propositio (vt hoc ipsum obji-
 cienti Sibrando Lutherano, reposuit Gretserus) nihil in
 re ponit. Eam hypothesin posuit Bellarminus, vt osten-
 deret, Hæreticorum importunitatem & improbitatem,
 nihil efficere contra Pontificum Romanorum autori-
 tatem, etiam si gratis daretur Petrum habuisse Paulum
 comparem, vel etiam Superiorem. Neutrum tamen id
 circò asserit Bellarminus, imò perspicuè affirmat, Pau-
 lum Petro inferiorem, ac subiectum fuisse. Itaque si Gret-
 serus ad hæc reponit, Sibrandum talia Bellarmino im-
 ponentem fatuari & blaterare, Bellarminum adducen-
 do quasi quæ ex hypothesi disputat, disputet absolutè,
 nullaque prorsus facta suppositione; possum ego sanè
 Aduersario eadem regerenti reponere, ipsum cauillari,
 & manifestè aperire causæ suæ egestatem, qui destitutus
 veris

veris testibus, falsò supponat, qui attestati suæ nouitati videantur.

10 In alijs locis, quæ Aduersarius ex Bellarmino adduxit, nihilo plus fidei prodidit, ea allegans. Agit Bellarminus priore loco, cum Hæreticis negantibus S. Petrum Romæ fuisse, quos impugnat autoritate S. Irenæi, texentis catalogum Episcoporum Romanorum, & statuentis primo loco SS. Petrum & Paulum. Hoc quomodo accipiendum sit, in S. Irenæo, supra est demonstratum. Ad Bellarminum verò, nihil ea Irenæi verba pertinent, nisi quod ex eis eruit S. Petrum fuisse Romæ. Quid hoc ad confirmandum ex mente Bellarmini, S. Paulum fuisse caput Ecclesiæ? Similiter in posteriore loco, quem Aduersarius ex eo adducit pro hac nouitate, agit Bellarminus cum Hæreticis, aientibus Sedem Romanam esse Sedem Antichristi, & Romanum Episcopum esse Antichristum. Repetit ibi Bellarminus locum S. Irenæi, dicens constare eius testimonio, & constanti omnium veterum assertionem non fuisse alios eo tempore Episcopos Romæ, præter SS. Petrum & Paulum, Romæ tunc prædicantes, eamque Ecclesiam fundantes, & primos in ea sedentes Episcopos, cum Nero fureret, & mysterium operaretur iniquitatis: quod Hæretici de Antichristo in Romana Cathedra sedente accipi volunt. Igitur iuxta Hæreticos SS. Petrus & Paulus dicendi sunt Antichristi. Hæc Bellarmini verba, in alium planè (vt vides) scopum intenta, Aduersarius de more obtorquet ad primatum, S. Pauli, ex mente Bellarmini stabiendum; sed proficit hilum. Nam quomodo accipiendus sit Irenæus, S. Paulum adiungens S. Petro Romanorum primo Episcopo, iam dictum est. Omnes autem veteres, quos supra abs se citatos idem docuisse, ait Bellarminus; tantum dixerunt, S. Petrum fuisse Romæ Episcopum, & ibidem cum eo prædicasse S. Paulum, quo tempore scripsit myste-

Z rium

rium iniquitatis operari in nobili Antichristi præcurfore Nerone.

11 Calumniosè igitur, Bellarminus, & per indignam planè verborum eius obtorsionem, trahitur ad patrocini-
nium nouitatis; de qua tantum abest, vt cogitarit, vt po-
tius validè eam exploserit. Debui hanc in purgando Bel-
larmino diligètiã, homini de Ecclesia Dei optimè me-
rito, qui in diebus suis suffulit domum, & in diebus suis
corroborauit templum. Quasi stella matutina in medio
nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis lucet, & quasi
Sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei. Liceat enim
ad hunc virum virtutum omnium, accommodare per
proportionem, quæ Siracides de Simone Oniæ filio di-
xit ^a.

^a Eccles 50.

In extremo ordine locabam Iurisperitos, quod in re-
bus sacris non æquent accuratione hætenus prolatos
Doctores, vt Capreolus ^b admonuit. Passim ergo DD.
Canonum, solius S. Petri primatum agnoscunt ad cap.
Dominus dist. 19. & ad cap. *In nouo* dist. 21. & ad cap. *Paulus
Petrum*: rursusq. ad subiunctum paulò post cap. *Paulus
& Petrus* 2. q. 7. & ad Extrauag. *Vnam sanctam* de
maiorit. & obedient. Approbant verò passim Doctores
Canonum, quod à Gratiano traditum est cap. *Paulus Pe-
trum*, fuisse Paulum Petro non imparem, si ageretur de
puritate vitæ, quamuis Petrus præcelleret, si fermo esset
de officio Ecclesiasticæ dignitatis, quia solus primatum
gerebat.

^b in 4. d. 26.
ad argum. con-
tra 2. conclus.

13 Intet cæteros Canonum Doctores, præclarè ex-
pressit quod dico, Ioannes de Capistrano in opere de
Papæ & Concilij authoritate ^c. Allegato enim Archi-
diacono tractante Petri & Pauli equalitatem, iuxta tex-
tum *Paulus Petrum* 2. q. 7. quod ibidem dicitur intelli-
gendum, non de officio Ecclesiasticæ dignitatis, sed de puri-
tate vitæ & sanctitate conuersationis: solus enim Petrus in-
ter

^c par. 1. prima
partis princi-
palis pagin. 8.
vers. Primus
qui adificauit.

ter Apostolos primatum gerebat. Subdit ad ista Capistranus. [Dicitur potest, quod Paulus fuerit par Petro in sanctitate, minor in auctoritate, maior verò in capacitate. Primum probat Ambrosius 2. q. 7. *Beati Petrus & Paulus*, ibi, cum dicit, *puto enim illos aequales esse meritis*. Secundum probat Clemens 80. dist. cap. *In illis in fine*, cum dicit, *quoniam nec inter ipsos Apostolos, par fuit institutio, sed unus praesuit omnibus*. Tertium probat ipsemet Paulus ad Galat. 2. cum dicit; *cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Quod etiam refertur 8. dist. cap. *Qui contempta*.] Idem Capistranus ^a alibi eodem opere, probans Papam posse dispensare cum bigamo, etiam si id vetuerit S. Paulus. [In his (inquit) quæ non sunt de iure naturali, nec contra mores, vel contra fidem Christi, benè potest Papa dispensare, etiam contra auctoritatem Apostoli, quia Papa maior est Apostolo; sicut Petrus maioris fuit auctoritatis quàm Paulus in administratione 21. dist. S. 1. Vnde Papa est in loco Petri, & sic maior Paulo 2. q. 7. cap. *Puto* 21. dist. cap. *In nouo*. Vnde si par in parem non habet imperium, ff. de arbitr. l. *Nam & Magistratus*. ff. ad Trebell. l. *Ille à quo S. Tempestiuum*. Et in cap. *Innotuit* extra de elect. multo minùs habet imperium minor in maiorem 24. q. 1. cap. *Quoniam vetus* 30. dist. S. 1. Papa namque est Vicarius IESV Christi, & non Paulus, extra de transl. cap. *Quanto*, vt cap. *Inter corporalia*. Et extra *Vt Eccles. benef.* cap. *Vt nostrum*.] Rursus inferiùs argument. 13. allegata Gloss. in cap. *Quis nesciat* dist. 11. quæ affirmat Petrum dedisse Paulo licentiam prædicandi, hoc rejicit Capistranus, quia Paulus priusquam videret Petrum, prædicauit. Subdit verò. [Sed nulli dubium esse debet, quod Paulus & reuerentiam, & obedientiam Petro exhibebat. Vnde in eorum historia scribit disertissimus Leo & Marcellus, quod cum Simon Magus per

^a 2. par. prin-
cipalis par. 3.
pag. 95.

aëra à dæmonibus ferretur, dixit Paulus ad Petrum, meum est orare, tuum est imperare.] Tandem inferiùs argum. 14. ex Theophilacto *Ioan. 21. ait. [Finito prandio, commissionem ouium mundi, Petro commendat, non alij.] Et paulò post, admittens Romanum Pontificem, non solùm Petri, sed etiam Pauli successorem esse, ait id esse intelligendum, quod sit successor. [Petri quidem in plenitudinem potestatis, Pauli verò in plenitudinem legalitatis. Nam sicut Petrus ligandi, atque soluendi à Christo potestatem habuit, ita Paulus scientiæ plenitudinem, &c. Et quamuis omnes Apostoli clauces ligandi, atque soluendi à Domino susceperint, nullustamen aliquo tempore, potestatis plenitudinem vendicauit, nisi is cui Dominus soli, scilicet Petro, concessit, vt supra est clarissimè demonstratum.] Possum istiusmodi, Canonistarum Capistrano æqualium, & antiquiorum testimonijs, solius Petri primatum, excluso D. Paulo, ferentibus, iustum volumen implere. Sed hoc specimen, sufficiat. E posterioribus Canonum Doctoribus, videndus nominatim Antonius Augustinus, vir planè eximius, in collectione Iuris Pontificij veteris^b: Ibi principio, illustrissima signat veterum loca, quibus S. Petro tribuitur primatus, exclusis omnibus alijs, atque ad eò etiam S. Paulo.

14. Itaque omnes ad vnum Doctores Catholici, Paulum Petro subiecerunt, nemine planè refragante. Aliquos quidem è nostris (si Deo placet) suffragatores huius nouitatis ostentauit Aduersarius. Sed qui maximè hac labe respersus est Erardus Billæus, Moralis Theologiæ Cadomî professor, scripto publicè dato, eam à se infamiam absterfit, & calumniæ illius stercois regeffit in authorem. N. à Prato, Professore Cadomensem, quem malè habuerat, quod esset accusatus à Billæo apud Episcopum Cadomensem, de exclusâ vnitæte numerica essen-

sententiæ inter personas diuinissimæ Trinitatis, & sola specifica vnitate concessa. Qui tres Deos ea doctrinæ peruersitate apertè induxit; & ab Episcopo de canenda palinodia admonitus, se potius ad Caluini castra transgressurum, quàm aliquid reuocaturum, est professus. Homo neque à Lutherò, neque à Caluino adeò abhorrens; cum eo progressus sit, vt diceret, eos malè quidem locutos; at in sententia verbis subiecta, nihil peccasse. Concilij verò Tridentini definitiones eo loco habuit, vt diceret, contemni posse; quod Concilium Tridentinum, non fuerit, nisi Concilium Iesuiticum. Hæc de suo Criminatore, libello nuper vulgato Billæus; & calumnias meras eius quem dixi Pratai fuisse; idque à se ritè compertum, scripsit Illustrissimus Vaurensis Episcopus, Racionis^a. Fusè item paulò anteriùs idem Antistes, purgat Dionysium Petauium, cui quoque ea stultilogia bicipitis Ecclesiæ ab Aduersario est impacta; cum tamen contrarium apertè tradat non vno loco^b. Nec refert, quod Paulum *Petri Collateralem* dixerit. Nam etiam bonus latro, collateralis Christi dictus est ab Arnoldo bonæ Vallis Abbate in tractatione de septem verbis^c, vt referre memini in Tractatione de S. Latrone^d.

15. Nemo igitur Catholicorum, aliud visibile Ecclesiæ caput superflite S. Petro agnouit, ac ne Paulum quidem. At magnum veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, vt dixit Cassianus^e. Solos Hæreticos pro coæquatione Pauli & Petri sollicitos fuisse, præmissi Lutherus & Caluinus superiore sæculo, in eam curam incubuere. Nuper Rainoldus Anglus pro eadè coæquatione fategit, nec non M. Antonius de Dominis, quem Aduersarius studiosè expilauit. Neque me latet, quod eius Symmistæ reponere soleant, cum de consensione cum Caluino circa libertatis humanæ naturam, vel exsolutionem, & alia quædam nobis, ac Sectarijs contro-

uerfa.

uerfa reuincuntur. Extremum enim per fugium habent, in illis, quæ apud S. Cyrillum leguntur in Commonitorio ad Eulogium ^a. [Dicendum est, non planè omnia, quæ hæretici dicunt, fugienda esse & recusanda. Nam multi ex illis, ea confitentur, quæ & nos confitemur: vtpotè Arriani, cum Patrem omnium conditorem, ac Dominum esse dicunt. An consentaneum erit, vt ob eam causam tales confessiones fugiamus?] Præiuerat Origenes ^b, qui id ait esse, quod de sanctificatis batillis æreis sacrilegorum, proditum est in Numeris ^c. Et idem habet in Ecclesiæ, ac Synagogæ altercatione Giselbertus. Annuo, non omnia Hæreticorum dicta sordere errore; sicut neque omnia malorum opera inficiuntur malitia. Sed in ijs, quæ Hæretici non malè dixerunt, neminem Catholicum habuere contradictorem. At in hac SS. Petri & Pauli cœquatione, nemo Catholicorum est assensus. Sôli Hæretici eam effutiuerunt.

^a alijs ep. 30.
^b homil. 8. in Num.
^c cap. 12.

16. Causabitur Aduersarius, se calumnia grauari. Cōtestabitur longè se ab hæreticis abesse. Id quod præsertim exoptulat, cum de consensione inter ipsum, & Marcum Antonium de Dominis criminatio ingeritur. Audio. Sed eo sollicitiùs moneo, simplices Catholicos, vt videant quomodò cautè ambulent, & cui se credant, quemue cauere debeant attentè perspiciant. Negat Sanctus Cyprianus ^d. [Ea sola metuenda, quæ subruendis, ac deijciendis Dei seruis, aperta impugnatione grassantur. Facilius cautio est, vbi manifestior formido est, & ad certamen animus ante præstruitur, quando se Aduersarius profiteretur. Plus metuendus est, & cauendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde & nomen *Serpentis* accepit.] Alia addit in eandem sententiam. Quibus affinia habet S. Ambrosius ^e, & agens cum Ruffino Sanctus Hieronymus ^f.

^d lib. de unit. Eccles. initio.

^e 5. Hexam. cap. 8.
^f Apol. 2. sub fin.

P V N-